6

DISPVTATIO DE CONIVGIO ET COELIBATV SACERDOTVM.

Diuina aſpirante gratia:

PRAESIDE CLARISSIMO VIRO, IACOBO HEERBRANDO, DOCTORE ET Profeſſore Theologiæ, in celebri Tubingenſi Academia, præceptore ſuo colendo, M. MICHAEL MESTLE, GOEPPINGENSIS, ſubſequentia diſputationis themata, Nonis Februarij, loco & hora ſolitis, pro ingenij ſui viribus, exercitij cauſa, defendere conabitur.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

TVBINGÆ,
M. D. LXXIIII.

37.

DE SACERDOTVM CONIVGIO ET COELIBATV,

Propoſitio prima.

Coniugium eſſe ſanctum vitæ genus, in quo viuentes Deo placeant, ipſum colere, & ſaluari poßint, omnibus pijs Chriſtianis, ex ſacra Scriptura perſpicuum eſt, & manifeſtum.

2. Eſt enim diuinitùs inſtitutũ & ſancitum, nec humana audacia excogitatum.

3. Condidit autem illud Deus, in eoq́ vult viuere omnes, qui ſe ad illud idoneos eſſe creatos intelligunt, nec poſſunt continere.

4. Semper enim verũ eſt, & ex æquo ad omnes pertinet, Apoſtoli hoc per Spiritum ſanctum pronunciatum: Qui non continent, nubant. Quia melius eſt nubere, quàm vri.

5. Ac generalia ſunt & Catholica θεωρήματα: Maſculum & fœminam fecit illos, & benedixit eis, & dixit: Creſcite & multiplicamini, &c. Item: Qui poteſt capere, capiat. Et illud: Honorabile coniugium in omnibus, cuiuſcunq́ ſint ordinis homines. Item: Ad vitandam fornicationem, VNVSQVISQVE habeat ſuam vxorem, & VNAQVAEQVE ſuum virum. Et: Prohibitio nuptiarum, doctrinæ dæmonum. Non laqueus cuiquam inijciendus virginitatis ratione.

6. A quibus adeò Sacerdotes & Miniſtri Eccleſiæ, non ſunt excluſi, vt etiam horum in ſpecie fiat mentio in ſacra Scriptura, & ſint incluſi.

7. Sacerdotes enim veteris Teſtamenti, maritos fuiſſe, habuiſſeq́ proprias vxores, ex ſacris literis patet.

8. *Pontifices quoq; ſummos, eo tempore quo fungebantur ſacerdotio, liberis dediſſe operam apparet.*

9. *Secundum legem autem, ſumma requirebatur carnis mundicies: & arcebantur ab ingreſſu tabernaculi omnes, quicũq; erant etiam ex leuiſ. quadam occaſione iuxta legem immundi, vt qui tangebant rem ſecundum Legem immundam, cadauer, funus deducentes, aut ingredientes domum, in qua erat mortuus.*

10. *Nuſquam verò in lege immundi pronunciantur, aut à tabernaculi arcentur ingreſſu, coniugali conſuetudine vtentes.*

11. *Sed ſummo Pontifici ſingulis diebus ingrediendum erat manè & veſperi Sanctum, & in illo facienda ſacra. Et tamen interim etiam liberis dabat operam.*

12. *Nec iniuria. Eſt enim & coniugalis conſuetudo* CASTITAS, *1.Timoth.2. Sicut & Paphnutius pronunciauit in Concilio Nicæno, Caſtitatem eſſe cum propria vxore conſuetudinem.*

13. *Quod ſi maximè in lege Moſis ceremoniali, conſuetudine coniugali vtentes, immundi fuiſſent pronunciati, qualia multa illic reperiuntur, quæ per ſe, ſuaq; natura immunda non erant, multò verò minus peccata: ſed tantùm Iſraëlitis propter certas cauſas: tamen illa nihil ad nos Chriſtianos, ad quos leges illæ nõ pertinent, ſed ſunt abrogatæ.*

14. *Et Apoſtolus cùm virtutes deſcribit, quibus vult ornatũ eſſe Epiſcopum, & in genere irreprehenſibilem, & ſine crimine, addit:* VNIVS VXORIS MARITVM.

15. *Quod nec allegoricè de vna Eccleſia, nec qui habuerit, aut fuerit, non verò amplius habeat, aut ſit vnius vxoris vir, eſt accipiendum: ſed qui ſit honeſtus maritus, non vagis libidinibus ſe polluens: nec ſit polygamus, qui plures ſimul vxores habeat, vt moris tum erat inter Gentes & Iudæos.*

16. *Quod igitur Spiritus ſanctus mundum, ſanctum, & honorabile*

rabile pronunciauit: homines & Eccleſia etiam Dei, non dicant immundum.

17. *Vnde rectiſſimè Apoſtolus, doctrinas dæmoniorũ pronunciauit, prohibentium nubere.*

18. *Damnanda itaq; eſt Lex Pontificia, de voto perpetui cœlibatus, prohibens Sacerdotibus coniugium.*

19. *Pugnat enim cum lege & ordinatione diuina, qua omnibus, qui donum continentiæ & virginitatis non habent, cõiugium eſt inſtitutum, non ſolùm remedium contra flammas libidinum, ſed etiam adminiculum: ad generis humani multiplicationem, etiam in integra natura, ante lapſum inſtitutum.*

20. *Vbicunq; autem habemus expreſſum aliquod Dei verbũ, & Scripturæ ſacræ conſenſum, fideiq́; analogiam: anteferendũ eſt illud omnibus, quæcunq; aliunde poſſunt proferri.*

21. *Voluntas Dei, Spiritus ſancti expreſſa eſt ordinatione Pauli: Conſtituas presbyteros per ciuitates, ſicut & ego diſpoſui tibi: Si quis ſine crimine eſt, Vnius vxoris vir.* Tit. 1.

22. *De cœlibatu verò Sacerdotum, Verbum Dei nullum.*

23. *Quæcunque ergo contra Sacerdotum coniugium afferunt Pontificij, qualia ſunt: Sancti eſtote, qui fertis vaſa Domini: Qui cœlebs eſt, curat ea quæ ſunt Dei, vt ſint ſancti. Item: Vt vacent orationi, &c. ſemper præferendum eſt illud Apoſtoli: Epiſcopus ſit vnius vxoris vir.*

24. *Pugnat & cum iure naturæ, quod eſt immutabile, prohibitio coniugij Sacerdotum. Naturaliſſimum enim eſt, ſicut Philoſophi dixerunt, procreare ſibi ſimile.*

25. *Quod tamen non promiſcuè, vt inter bruta, fieri debet, ſed certa lege, ex coniugio legitimo.*

26. *Vnde qui donum continentiæ non habent, ſicut ſunt benè numerabiles (creauit enim Deus hominem ad generationẽ) vruntur flammis libidinum, & polluunt corpora ſua, & mentes.*

 27. *Quare:*

27. *Quare Lex de perpetuo Sacerdotum cælibatu, prohibens Sacerdotibus coniugium, à Deo coniugij authore eſſe non poteſt, vt rectè Ambroſius loquitur. Sicut & Apoſtolus cùm plurima de virginitate diſſerens, negat ſe de illa præceptum Domini habere: ideoq́ nolle ſe laqueum inijcere.*

28. *Neq; Eccleſiaſtica eſt hæc Lex, hoc eſt, à vera Dei Eccleſia lata. Cùm enim Eccleſia ſit ſponſa Dei, vocem ſponſi ſui audit. Nec poteſtatem habet, aut ſibi ſumit Leges ſanciendi cōtra expreſſam Dei ordinationem, voluntatem, & mandatum.*

29. *Et noti ſunt Canones, qui ad Apoſtolos authores referuntur, quibus Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, vxores prætextu Religionis abijcientes, vel abſtinentes, à communione Eccleſiaſtica ſegregantur, & ſi perſeuerent, deponuntur.*

30. *In quam ſententiā & Dionyſius Epiſtola ad Gnoſios monet, & deprecatur Epiſcopum eorum Pinytum, ne grauia onera diſcipulorum ceruicibus ſuperponat. Néue fratribus neceſſitatem* COMPVLSAE CASTITATIS *indicat, in quo nonnullorum periclitetur infirmitas.*

Hiſt. Tripart. lib. 1, cap. 14

31. *Similiter inter Canones Concilij Nicæni, cum quidam videbatur introducere legem, ne Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi, cum coniugibus ſuis, quas ante conſecrationem duxerant, dormirent: Paphnutius confeſſor, licet nuptiarum expers eſſet, tamen contradixit, honorabiles confeſſus nuptias, & caſtitatem eſſe dicens concubitum cum propria coniuge. Suaſitq́ Concilio, ne talem poneret legem: grauem eſſe aſſerens cauſam, quæ aut ipſis, aut eorū iugalibus, occaſio fornicationis exiſteret. Synodusq́ laudauit ſententiam eius: & nihil ex hac parte ſanciuit, ſed hoc in vniuſcuiuſq; voluntate, non in neceſſitate dimiſit.*

32. *Sicut Gratianus quoq; in Decreto, plurima in eandem ſententiam collegit, Diſt. 23. 28. 31. 34. &c.*

33. *Quod igitur 26. quæſt. Ca. Sors, habetur, copula Sacerdotalis*

dotalis, nec Legali, nec Euangelica, vel Apoſtolica authoritate prohibetur: Eccleſiaſtica tamen lege penitùs interdicitur.

34. *Accipienda eſt confeſſio ingenua, quòd cõiugium Sacerdotum, nec in Lege diuina, nec Euangelica, nec Apoſtolica doctrina, hoc eſt, nuſquam in tota ſacra Scriptura prohibeatur, quod verum eſt.*

35. *Sed quod addunt, Eccleſiaſtica lege penitùs interdici: id non de vera Dei Eccleſia accipi poteſt: ſed à malignantium, & dæmoniorum profectum eſſe, Apoſtolus clarè pronunciat.*

36. *Dæmones enim eam per hæreticos, ſua organa, quibus inſpirarunt, Nicolaitas, Manichæos, qui nuptias ſuis electis, & ſic perfectioribus, & ſanctioribus prohibebãt, interim auditoribus, hoc eſt, Laicis tantùm permittebant. Item Tatianos, Encratitas, Montanum, & alia monſtra diabolica, Pontifices Romanos promulgarunt. Hi authores, Doctores, Prophetæ & Apoſtoli, cælibatus ſanctiſſimi & puriſſimi Sacerdotum.*

37. *Etiam olim hoc egit Satan. Myſteriũ enim iniquitatis, Apoſtolorum temporibus operari incipiebat: vt ex virginitatis admiratione, cælibatus in Eccleſiam inueheretur. Confictis quoq; Apoſtolorum nomine ſcriptis apocryphis.*

38. *Oppoſuerunt autem ſe Apoſtoli, eorumq́; fideles ſucceſſores, ſicut ſanctus martyr Ignatius ſcribit: Si quis Deum & Chriſtum confitetur: corruptionem verò ſeu labem & coinquinationem, vocat legitimam coniugum commixtionem, & liberorum procreationem, aut cibos quoſdam abominabiles: talis habet inhabitatorem Draconem illum apoſtatam.* Ignatius Epiſt. ad Philadelphienſes.

39. *Vnde in Hiſt. Eccleſ. Socrates rectè ſcribit: Multos ipſo tempore Epiſcopatus, & ipſo Epiſcopali munere fungentes, in Epiſcopalibus ædibus, liberos multos ex* LEGITIMIS *coniugibus ſuſcepiſſe.* Hiſt. Eccleſ. Socratis libro 5. capite 22.

40. *Et quidem in Tomis Conciliorum legitur, Concilijs Romano*

mano ſub Syluestro, Eliberino in Hiſpania cap.33. Arelatenſi in Gallijs cap.2. Carthaginenſi item quodam cap.2. habitis, Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis interdictum eſſe coniugio, ne quis etiam coniugatus aſſumatur ad Sacerdotium.

41. *Sed horum quædam paulò ante Nicænum Concilium fuêre, eoq́ rectè abrogata.*

Concil. Romanũ ſub Syluestro. 42. *Quantum verò Romano ſub Syluestro habito, ſicut & alijs ſit tribuendum, præter ea, quæ ſuprà ex fundamentis Scripturæ ſacræ, & alijs firmis rationibus ſumptis, ſunt propoſita, vel hinc apparet, quod in Præfatione Syluester proteſtatur: Quicquid in Nicæna Synodo ſit conſtitutũ, ſe ſuo ore conformiter confirmare.*

43. *Præterea & alia abſurda Synodus illa Romana continet, vt quod cap.16. prohibet, ne quis Clericus, Diaconus, Presbyter, aut Epiſcopus, propter quamlibet ſuam cauſam intret in curiam. Quoniã* OMNIS CVRIA A' CRVORE DICITVR, ET IMMOLATIO SIMVLACHRORVM EST. *Et tamen ibidem habetur, hanc conſtitutionem quoq; Conſtantini eſſe, quod ridiculum eſt affirmare.*

Eliberinum Cõcilium. 44. *Similiter & idem Eliberinum cap.56. dicit: Magiſtratum anno quo agit duumuiratum, prohibere placet, vt ſe ab Eccleſia cohibeat. Quæ quàm abſurda, in Magiſtratum quàm contumelioſa, & à veritate aliena ſint, qui non videt, nihil videt.*

45. *Rectè autem, ſanctè, & verè eiuſdem Syluestri temporibus contrà, Gangrenſe Concilium in Paphlagonia decreuit: Si quis diſcernit inter Presbyterum coniugatum, tanquam occaſione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab eius oblatione ideo ſe abſtinet, anathema ſit, quod repetitur Diſtin.28.*

Gangrẽſe Conciliũ cap.4. 46. *Syricio Romano Pontifici, alij tribuunt Diabolicam hãc Legem, de perpetuo Sacerdotum cælibatu, & coniugij eorum prohibitione.*

47. *Alij, Gregorio 7. qui Hiltebrandus antea dictus eſt,*

quod

quòd ſtrenuè hoc præ alijs omni conatu, & totis viribus egerint, ne Sacerdotes eſſent coniuges.

48. *Sed quiſquis tandem ſiue pauci, ſiue multi, vel etiam Concilia quædam Nationalia vel Prouincilia id ſtatuerint & decreuerint: rectè cum Apoſtolo, & Concilio Gangrenſi, anathema, & doctrinam dæmoniorum, coniugij Sacerdotum prohibitionem pronunciamus.*

49. *Quòd verò Pontificij ad Tatianos tantùm referendum illud Apoſtoli cenſent, qui ſenſerit & docuerit, non minus Deo diſplicere coniugium, quàm ſcortationem.* Hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 28

50. *Friuola hæc eſt excuſatio. Apoſtolus enim non de perſonis certis loquitur, ſed de reipſa, & dogmatibus agit: quòd quicũq; ita ſentiant, & quocunq; prætextu nuptias prohibeant, ſciendũ eſt, illos doctrinas dæmoniorum proponere.*

51. *Etſi autem Papiſtæ verbis negent ſe vel prohibere, vel damnare nuptias, ſed tantùm coniuges à Sacerdotio arcere, & non admittere: tamen dum cauſas recenſent, propter quas à Sacerdotio coniuges arcent, ipſas nuptias ſiue coniugium damnant. Sancti eſtote. Item: Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.*

52. *Et quod longè atrocius eſt, in quo etiam Tatianis ſunt multò deteriores, & verbis teſtantur, & re ipſa loquuntur, Sacerdotem ſcortantem, & adulterantem, minus peccare, quàm ſi propriam ducat vxorem.*

53. *Electum illud Dei organũ D. Apoſtolus Paulus, ex Spiritu ſancto ad vitandam fornicationem, vult vnumquemq; ſuam habere vxorem.*

54. *Papiſtæ ad vitandum coniugium, permittunt ſibi & ſuis Sacrificulis, ac volunt vnumquemq; pro arbitrio fouere, repellere, & recipere ſcorta, quot placuerit. Et tamen interim ſancti ſunt, mundi ſunt: qui portant non vaſa Domini, ſed ſcorta & meretrices, ſuaq; corpora, membra faciunt meretricis.*

55. *Certum eſt autem de Cælibatu, ſicut & de Virginitate, præceptum Domini non extare. Fruſtra igitur Deus colitur traditionibus & doctrinis humanis.*

56. *Qui verò donũ continentiæ & virginitatis habent, vt ſancti & impolluti eſſe poſsint corpore, ſpiritu & mente, nec ſentiunt flammas libidinis, illi ſanè hoc dono rariſsimo vtantur. Et hos expeditiores eſſe, minusq́ alijs curis, & negocijs œconomicis diſtrahi affirmamus.*

57. *Sed nõ omnes, inquit Saluator, capiunt verbũ iſtud, verũ illi tantùm, quibus datũ eſt: nec comparari poteſt ſtudijs humanis: vnuſquiſq; habet ſuum donum, vnus ſic, alius alio modo.*

58. *Nec laquei inijciendi ſunt conſcientijs, quod fit voto illo perpetui cælibatus, cùm caſtitas, ſine qua nemo Deũ uidebit, etiam in coniugio ſeruari poſsit, & quidẽ maximè: cùm & cõcubitus coniugalis ſit impollutus: ideoq́ coniuges fiant, vt caſtè viuere poſsint.*

59. *Nec coniugiũ tale vitæ genus eſt, vt vel in eo Deo ſeruire nequeamus, vel in officio ita impediamur, vt illud facere nõ poſsimus. Eſt enim vxor, authore Deo, adiumentũ, non impedimentũ.*

60. *Nam quod Apoſtolus dicit: Cælebs curat ea quæ Dei ſunt, qui autem cum vxore, ea quæ ſunt mundi: non ſimpliciter eſt accipiendum, ſed cum quodam reſpectu, quòd videlicet expeditior ſit cælibatus, ſi donum continentiæ habeat, & minus curis domeſticis impediatur, præcipuè in perſequutione.*

Chryſoſto. ſuper Matt. homil. 56. in fi.

61. *Vnde rectè Chryſoſt. Prophetæ quidem omnes, & vxores & domos habebant, ſicut Iſaias, & Ezechiel, & eximius ille Moſes: & nihil hinc virtuti eorũ fuit impedimento. Et Nicephorus de Nyſſeno Epiſcopo, fratre Baſilij Magni ſcribit: Quamuis is Epiſcopus coniugẽ haberet, tamen rebus alijs fratri minimè ceſsit. Et Sozomenus de Spiridione: Vxorẽ & liberos habuit: ſed propterea non fuit in rebus aut exercitijs diuinis inferior, aut deterior.*

Hiſt. Eccleſ. Tripart. lib. 1, cap. 11

62. *Quòd igitur Iouinianam hæreſim Pontificij crepant, qui*

æquaue-

æquauerit coniugiũ virginitati, quòd hæc nõ ſit maioris meriti coram Deo: nihil moramur, nec mouemur: ſed apertè fatemur, ſi non alia fuit eius hæreſis, à Scripturæ ſacræ veritate eum nõ aberraſſe.

63. *In Chriſto enim Ieſu, vt non eſt, ſecundum Apoſtolum, mas nec fœmina: ita nec virgo, nec coniunx. Sed fides per dilectionem operans: quam habere cum ſanctificatione quoq; & caſtitate, & ſic ſalutẽ conſequi tam coniuges quàm cœlibes & virgines, idem Apoſtolus profitetur: ideoq; etiam melius eſſe nubere, quàm vri idem pronunciat.*

64. *Et quod de meritis in cœlo dicunt, virginitatem proferre centuplum, continentiam ſexagecuplum, coniugium trigecuplum, Allegoriam hanc nihil probare cum Auguſtino reſpondemus.*

65. *Quòd verò obijciunt: Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Item: Sancti eſtote, qui portatis vaſa Domini, quoniã ego Dominus Deus veſter ſanctus ſum. Et hinc cœlibes ſpirituales, ſancti & mundi dicuntur. Primùm ruditatem ſuam in Sacris literis, aſini ad lyram, & cæcitatẽ ſuam produnt: quòd quid ſit in carne, vel Spiritu eſſe non intelligunt. Deinde non ſolùm coniugio ſe iniquos, & ſic animi ſui morbum, ſed etiam in illius authorem contumelioſos. Nec vident propter turpes ſuos amores & libidines excæcati (fornicatio enim aufert cor) quòd Deus Sacerdotes ſuos, portantes vaſa eius, ſanctos vocet, coniuges exiſtentes.*

66. *Quòd item Apoſtolus dicit: Viduas nubentes habere damnationem, quia primam fidem irritam fecerint: nequaquam de cœlibatus voto accipiendum eſt. Hoc enim tum in vſu nõ erat: & vult ibidem Paulus iuniores viduas nubere, liberos gignere, &c. Nec laqueum vult inijcere, nec vllam niſi ſexagenariam eligi: & ex publica alebantur Eccleſiæ eleemoſyna. Nec damnantur tales propter nuptias: ſed quòd, poſtquam contra Chriſtum luxuriarentur, omni amiſſo pudore, & cura honeſtatis abiecta: ideo damnationem habeant, quia primam fidem (vbi non*

votum viduitatis intelligit, hoc enim non eſt prima fides, ſed Deo datam, pactum ſcilicet in Baptiſmo, quod cum Deo inierant (hæc enim prima eſt fides, non cœlibatus vel viduitatis votum, ad hoc enim non niſi Chriſtiani, & ſic baptiſati admittuntur) non ſeruauerint. Quam primam fidem Deo datam, qui non ſeruauerit, nec ſecundam hominibus datam ſeruabit.

67. *Quòd verò negant Pontificij, quenquam Patrum, ita Pauli verba interpretari, fucum faciunt imperitis. Hæc enim Athanaſij ſunt verba: Væ vobis, qui primam fidem Baptiſmi cœlitùs inſtituti, irritam facitis.*

68. *Etſi autem aliàs Fides & vota Deo data & facta ſeruanda ſint, niſi ſint cum impietate coniuncta: tamen ſi ſint ſeruatu impoſſibilia abſq; conſcientiæ læſione, vt in cœlibatu perpetuo illorũ, qui dono virginitatis deſtituuntur: licere etiam poſt votum contrahere coniugium ſtatuimus.*

69. *Nam qui violat ſecundam fidem hominibus datam, de cœlibatu, eamq; facit irritam, vt ſeruet primam Deo datam, ducta honeſta vxore, vt bona conſcientia viuere, Deoq; ſeruire poſſit, rectè facit in hoc. Agnoſcat autem ſe peccaſſe vel ignorantia, vel errore, aut alia de cauſa, incautè vouendo, quod ſana conſcientia præſtare non poteſt.*

Cypr. libro 1. epiſto. 11. ad Pomponium.

70. *Quam ſententiam etiam D. Cyprianus confirmat, ſcribens: Quòd ſi ſe ex fide Chriſto dicauerint (loquitur autem de virginibus Deo dicatis) pudicè & caſtè ſine vlla fabula perſeuerent: ita fortes & ſtabiles præmium immortalitatis expectent. Si autem perſeuerare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt nubere, quàm in ignem delicijs ſuis cadant. Certè nullum fratribus aut ſororibus ſcandalum faciant.*

Auguſti. lib. de bono viduitatis.

71. *Similiter & D. Auguſtinus: Quidam nubentes poſt votum, aſſerunt adulteros eſſe. Ego autem dico vobis, quòd grauiter peccant, qui tales diuidunt. Et iterum: Qui dicunt talium (qui continen-*

continentiam vouerunt) nuptias non eſſe nuptias, ſed potius adulteria, non mihi videntur ſatis acutè ac diligenter conſiderare, quid dicant.

72. *Hoc idem vult etiam regula hæc Iuri Canonico inſerta: In malis promiſſis reſcinde fidem. In turpi voto, muta decretum. Quod incautè vouiſti, ne facias. Impia eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur.* Ex Iſid. & repetitur 22.q. 4. Itē Magiſter Sēsent. lib. 3, diſt, 39

73. *Porrò quæ ſint nefaria ſcelera impuri cœlibatus, partim res ipſa paſſim loquitur: & notius eſt in toto Papatu, quàm vt verbis ſit opus: quamq́ res ſit ſcandali plena, ſeculares quoq́, tam ſummi quàm infimi, publicè conqueruntur, ad cœlum clamantibus peccatis: partim dies Domini reuelabit.*

74. *Nec noui, aut recentes hi ſunt fructus cœlibatus, ſed ſtatim ab initio authorem prodiderunt. Non confitebuntur, inquit Tertullianus, niſi ipſorum infantium ſuorum vagitibus proditæ. Quantum autem plures, non etiam de pluribus ſceleribus ſuſpectas habebis? Dicam licet nolim. Difficile mulier ſemel fit, quæ timet fieri, quæq́ iam facta, poteſt virginem mentiri ſub Deo: quanta item circa vterum ſuum audebit, ne etiam mater detegatur? Scit Deus, quot iam infantes, & perfici, & perduci ad partum integros duxerit, debellatos aliquandiu à matribus. Facilimè ſemper concipiunt, & fœliciſſimè pariunt eiuſmodi virgines, & quidem ſimilimos patribus. Hæc admittit flagitia coacta, & inuita virginitas. Hactenus Tertull.* Tertull. librò de virginit. floruit anno Domini 229

75. *Quod ſi iam Tertull. viueret, Sodomam horum & harum ſororem, caſtam virginem diceret. Mirum igitur eſt, Pontificios de titulo ocioſo, & inani nomine, re carente, multa deblatterare.*

76. *Rectè quidem Gregorius Magnus, Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ, ingreſſum templi ſacrificulis fornicatoribus interdixit. Similiter & omnibus Chriſtianis, ne talis Sacerdotis Miſſam audiant. Qui Canon, ſi obſeruaretur, ad ingentem paucitatem, innumera* Diſt. 81.

mera iſta Miſſarũ multitudo redigeretur, & rari Sacrifices in templis conſpicerentur.

77. *Sed origo mali tollenda (fruſtra enim illa dantur præcepta) prohibitio nempe coniugij Diabolica, & cælibatus ille impurus, cuius defenſio in re omnibus manifeſta, verè vt lèx ipſa, planè eſt Satanica.*

78. *Barbaries verò plus quàm Turcica eſt, in homines innocentes: tantùm propter honeſtum coniugium ſæuire. Huic verò ſcortationem etiam præferre, plus quàm Diabolicum eſt. Hoc enim cacadæmones ipſi, Spiritus ſpurciſſimi non auderent, ſic in faciem Deo reſiſtere, eiusq́ ordinationẽ apertè damnare: ſed Antichriſto hoc reſeruabatur, cuius nota hæc eſt, quòd ſit hoſtis coniugij, author libidinis, & omnis peccati: aduerſarius Dei, qui extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, in templo Dei ſedens, oſtentans ſe tanquam ſit Deus.*

79. *Quod etiam Patres Tridentini aſſerunt, Deum caſtitatis donum, rectè petentibus non denegare, nec eum pati, nos ſupra id, quod poſſumus, tentari: verba ſunt, & ſine mente ſonus.*

80. *Cùm enim orationẽ ex fide proficiſci neceſſe ſit, aliàs enim nequaquã exauditur. Fides autem ſit ex auditu verbi: ideoq́ quod Deus verbo ſuo non promiſit, petendo impetrari non poteſt.*

81. *Nuſquam autem Deus promiſiſſe legitur caſtitatem extra coniugium ſe daturũ, èxceptis ijs, quos ita creauit, vt communi legi naturæ, regulæ & ordini non ſint obnoxij, qui benè ſunt numerabiles.*

82. *Sed contrà, hominem creauit ad generationem, & vult nos in hoc vitæ genere viuere, ſibiq́ obtemperare.*

83. *Quare contra expreſſam Dei voluntatem facere ſe ſciant, qui ad procreationem ſe natos eſſe ſentiunt, & tamen cælibatum vouent, ac caſtitatem extra coniugium à Deo petunt.*

84. *Adeoq́ Deũ tentant, media & remedia diuinitùs inſtituta, ne-*

ta, negligentes, precibus id, quod Deus nuſquam promiſit, impetrare volentes, cum interea ordinatione diuina vti nolint: non ſecus, ac ſi quis neglecto & contẽpto cibo, cœlitùs paſci ſe expetat.

85. *Præterea, vt quo loco habeant coniugium, omnes intelligant, non modò honeſtos coniuges Sacerdotes non ferunt: ſed nec ad ſuos ſacros ordines admittũt eum, qui duas ordine habuit vxores, quem ipſi bigamũ vocant: quòd Paulus velit Epiſcopũ* VNIVS *vxoris virum eſſe.*

86. *Cùm verò eiuſmodi ſint vocabuli Paulini (Vnius) tru-* 1. Tim. 3.
tinatores: cur nõ eadem lance librant, ponderant, & examinãt verba: Oportet Epiſcopũ vnius vxoris virũ eſſe: non enim dicit, fuiſ-
ſe. Et item: Si quis eſt, non dicit, fuit, vnius vxoris vir. Tit. 1.

87. *Nam cum Apoſtolus docet,* VNIVS *vxoris virum eligi Epiſcopum: nequaquam arcet ab Epiſcopatu eum, qui prima defuncta, alteram ducit.*

88. *Hic enim non eſt bigamus, vt illi loquuntur, mali grammatici, & nõ boni Theologi: quòd defuncta vxor, non ſit amplius vxor, coniugium nullum, ſed ſolutum vinculum: non magis quàm ſi ſoluto iugo duorum boum iugalium, vnus liber dimittatur, alte-*
ro mortuo. Iam enim liber à lege vxoris, mortua coniuge, ab Apo- Rom. 7.
ſtolo pronunciatur: Ducat quam voluerit. 1. Cor. 7

89. *Sed caſtum vult eſſe, non fuiſſe, vnius vxoris propriæ maritum: non dicit monogamum. Nec aliud dicit, aut vult, quàm*
quod alibi: Ad vitandam fornicationem, vnuſquiſque habeat 1. Cor. 7
vxorem ſuam, & vnaquæq; ſuum maritum. Ne videlicet vagis ſit libidinibus deditus, aut alias polluat, ſed cum ſua propria vxore caſtè viuat.

90. *Apoſtolus & ipſe viduus, 1. Cor. 7. tamen ſibi licere affirmat, ſororem vxorem circumducere, inſtar reliquorum Apoſtolorum, 1. Cor. 7.*

91. *Similiter quod præcipit, vt vidua eligatur, quæ fuerit*

vnius

vnius viri vxor, hoc vult, ut ſit honeſta fœmina, quæ ſuo & vno marito fuerit contenta, adulteris & fornicatoribus ſe non proſtituerit.

92. *Paulus igitur nequaquam per verba iſta (Vnius vxoris vir) digamum intelligit, hoc eſt, eum qui priori vxore defuncta, alteram duxit. Multò verò minus talem ab Epiſcopatu excludit, cæteris donis neceſſarijs ornatum, & inſtructum.*

93. *Quòd ergo eum, qui duas honeſtas vxores ſucceſſiuè duxit, ad ordines ſuos ſacros non admittunt, id non caſtitatis amore faciunt Pontificij. Cùm non ſolùm pollutos varijs & vagis libidinibus admittant, ſed ferant perpetuos ſcortatores, adulteros, cynædos, turpiſſimosq́ homines ſcientes volẽtes: ſed honeſti cõiugij odio.*

94. *Et vniuerſales illæ, de quibus ſuprà in 5. non ſolùm ad primum coniugium pertinent: ſed rectè, ſoluto primo coniugio morte alterius, militant etiam, & accommodari poſſunt ac debent ad alterum. Idq́ non ſolùm in Laicis, ſed etiam Epiſcopis, ſiue Miniſtris Eccleſiæ locum habet.*

95. *Quòd ſi enim primum coniugium erit honorabile, certè & ſecundum itidem. Et ſi ſemel melius eſt nubere quàm vri, quid ni & altera vice melius erit?*

96. *Et quæ tandem ſtoliditas eſt, ſeu malitia potius, omiſſis præteritis, & neglectis reliquis, vel ad priuatam vitam rectè inſtituendam, vel ad Eccleſiæ gubernationem ornamentis neceſſarijs omnibus, ſine quibus Epiſcopus nec eſſe, nec officium facere poteſt, cuiuſmodi ſunt ſacrarum literarum peritum eſſe, didacticum, ſobrium, irreprehenſibilem, ſine crimine, non vinolentum, non percuſſorem, &c. ſolum cœlibatum contra Dei ordinationem vrgere ita & requirere: & cæteris omnibus deſtitutum, indoctam beſtiam, aſinum ad lyram, ſtigmaticum militem, qui neq́ natare, neq́ literas ſciat, ſolo cœlibatus nomine Eccleſiæ obtrudere, & præficere? O paſtor, & ò Idolum.*

97. *Hiero-*

97. *Hieronymus etſi nuptijs aliàs, præſertim verò ſecundis, valde ſit iniquus: tamen non ſolùm exemplum recenſet Carterij Epiſcopi Hiſpaniæ, qui homo, & ætate vetus, & Sacerdotio, vnam antequam baptiſaretur, alteram poſt lauacrum, priori mortua duxit vxorem. Et arbitraris, inquit, eum contra Apoſtoli feciſſe ſententiam, qui in catalogo virtutum, Epiſcopum vnius vxoris virum præceperit ordinandum? Miror autem te vnum protraxiſſe in medium, cùm omnis mundus his ordinationibus plenus ſit. Non dico presbyteris, non de inferiori gradu: ad Epiſcopos venio, quos ſi ſigillatim voluero nominare, tantus numerus congregabitur, vt Ariminenſis Synodi multitudo ſuperetur.*

98. *Verùm etiam ita interpretatur verba Apoſtoli:* VNIVS VXORIS VIR. *Hoc quod dicit, Vnius vxoris virum, poteſt & aliter diſſeri. Ex Iudæis erat Apoſtolus, prima Chriſti Eccleſia de Iſraël reliquijs congregabatur, ſciebat lege conceſſum, & exemplo Patriarcharum, ac Moſi, familiare populo nouerat, in multis vxoribus liberos ſpargere. Ipſis quoq; Sacerdotibus huius licentiæ patebat arbitrium. Præcepit ergo, ne eandem licentiam Eccleſiæ ſibi vendicent Sacerdotes, ne bina pariter & trina ſortiantur coniugia: ſed vt ſingulas vno tempore vxores habeant.*

99. *Etſi autem idem, alias horum verborum interpretationes, vt de vna Eccleſia, cui ſit præficiendus Epiſcopus, rectè reprehendat, & dicat eſſe coactam: hanc tamen non reprobat. Sed vult vt Apoſtolum, non in* VNIVS *vxoris elogio, ſed in omnibus quæ præcipit, doctorem Gentium ſuſcipiamus.*

100. *Mirari, inquit, ſatis non queo, quæ hominum tanta ſit cæcitas, de vxoribus ante baptiſmũ diſputare, &c. cùm tam apertum, euidenſq; præceptum (Non neophytum) nemo cuſtodiat. Qui dixit, Vnius vxoris virum, ipſe mandauit irreprehenſibilem, ſobrium, prudentem, ornatum, doctorem, modeſtum, non vinolentum,* Non miraturus, ſed deteſtaturus eſſet, iam ſi viueret, & tur

C non

pitudinē Sacrificulorum videret ſummam.

non percuſſorem, &c. Ad hæc omnia claudimus oculos: ſolas videmus vxores. Itaq; cum oppoſuerint nobis vxorem ante Baptiſmum, nos ab eis omnia, quæ poſt Baptiſmum præcepta ſunt, requiramus. Prætereunt quod non licet, & obijciunt quod conceſſum eſt (videlicet vxores.) Hactenus Hieronymus.

101. *Ex quibus omnibus, non ſolùm impietas legis Pontificiæ, de coniugij Sacerdotalis prohibitione, & perpetuo cœlibatu apparet: ſed furijs quoq; infernalibus Pontificios agitari: quòd honeſto, caſto, & ſancto, Sacerdotibus coniugio interdicant, nec vllis magnatum precibus moueantur, vt ſublata turpitudine ſuorum, qui exemplaria gregis eſſe debebant, & ſcandalorum occaſione, ſpiritualibus ſuis voto & vinculo iniquitatis, & laqueo conſcientiarum ſoluto, coniugium permittant: ſed proſtibula potius, & omne genus libidinum vagarum concedant: innocentes verò Eccleſiæ miniſtros, caſtè cum propria coniuge viuentes, non ab officio tantùm, ſed etiam arbore ſuſpendant. Quam tyrannidem & crudelitatem inauditam, filius Dei in illuſtri ſuo aduentu haud dubiè, perpetuis ignis infernalis cruciatibus puniet.*

Tubingæ,

M. D. LXXIIII.